


VB
230





I

E



PETRI PETITI
PHILOS. ET DOCTORIS MED.
PARISIENSIS,

THIA SINENSIS,

AD
PETRUM DANIELEM HUETIUM,
ABBATEM ALNETANUM.

CARMINA Pimplæis nuper mihi nata sub
antris,
Cui potius mittam quam tibi, HUE-
TIADÉ?

Accipe quodcūq; est; deerunt si cætera votis,
Fallor, materies ni placitura tibi est.
Inclyta Sinensis celebramus munera terræ,
Munera Pegasidum jam bene nota choris.
Perlege; si bene quid de te meruere beatæ
Thiados ambrosiis pocula tincta comis.
Nec meruisse male hæc, credo, ipse fatebere: quanquam
Ingenio multum, nec minus arte vales.
Uteris hac certe, & nullum sine pyxidis usu
Thiiferræ pateris præterisse diem.
Non Heliconæ moves unquam, nisi nectare tali
Uvidus & blando corda furore tumens.
Ipse etiam multis divinam expertus ab annis,
Hac soleo ad Musas tendere fretus ope.
Ergo age: & hæc mecum certissima dona Deorum
Concelebra; nostris versibus adde tuos.
O quanta accedet Sinensi gloria filuæ:
Vindice non alio gaudeat illa magis.

A

THIA

THIA SINENSIS.

TE-ne ego, Sinensis pignus memorabile terræ,
 Indictam usque meis patiar seruire Camœnis,
 Thia? Nec, ut merita es, sacratam carmine nostro
 Cœtibus ostendam doctis; ut munera quisque
 5. Numinis agnoscat venerans, opibusque fruatur?
 At tibi quas referam grates, quo debita solvam
 Carmine; tu vocem ipsa mihi ingeniumque ministra,
 Nam potes: o famæ merito pars maxima nostræ,
 Thia, salutareque inter memoranda cateruas
 10. Plantarum; qua nulla solo præstantior exit
 Assiduis fessum studiis reparare vigorem
 Corporis atque animi, & tristes depellere curas.
 Diceris & duros morborum auertere casus,
 Parcarumque colos tardare & lubrica pensa.
 15. Te fretus Musarum omnem perferre laborem,
 Continuas possum libris traducere noctes,
 Nec mea gliscenti succumbunt lumina somno,
 Aut vigilasse nocet: fessos non languor in artus
 Succedit: manet idem ardor. Cumque humida cursum
 20. Nox peragat, jam Solis equis affletur anhelis,
 Pallida jam toto vanescant sidera cœlo,
 Non minus infano iuvat indulgere labori;
 Tam valida exili regnat sub stripe potestas.
 Tu mihi concilias Phœbum, Phœbique Sorores;
 25. Ut quoties libet Aonios conscendere montes,
 Quecumque & visum est, possim pede nectere versus.
 Nam simul atque tuas concepi pectore vires,
 Continuo nova lux oritur mihi; nubila, celsæ
 Quæ menti obstabant, fugiunt; anima explicat alas,
 30. Impatiensque soli superas se tollit ad arces.
 Haud aliter propior nobis cum flectit ab Austro
 Phœbus equos, segni torpentem frigore terram

Excitat

Excitat: hinc lætis avium concentus in agris,
 Graminaque & flores, spoliatis denique siluis
 35. Redditur hibernus quicquid detraxerat horror.
 O fortunatae gentes, Tithonia regna!
 Hascine opes vobis, atque hos decerpere foetus
 Concessum; nobis contraria fata negarunt?
 Quid rear? Invidia magnorum, an foedere Divum,
 40. Ereptum hunc nobis silvæ potioris honorem?
 Livor abest Superis; potius data foedera mundo
 Credamus: neque enim nobis lectissima defunt
 Dona Deum, aut nulla est foecundi gloria ruris.
 Sed Pater omnipotens, nutu cum prima potenti
 45. Fundamenta orbis jaceret, discrimina terris
 Hæc posuit, nulla ut magni sub fornice cœli
 Sit regio, quæ non proprio se munere jactet.
 Sic Chalybes præstans opera ad fabrilia ferrum,
 Marmora dant Parii, pretiosos India dentes,
 50. Thura ferunt Arabes, vicini balsama tractus,
 Rara Cyrenæis pubescunt silphia campis.
 Tum sacer indigena semper redimita papyro
 Cornua Nilus habet, propriaque hac dote superbit,
 Trita licet veteres præferunt lintea chartas.
 55. Haud aliter Sinae totum transmissa per orbem
 Dant famam virgulta, & frondis nota potestas.
 Nec tamen huic defunt aliis quæ commoda Numen
 Gentibus indulgit: nil est tibi, Sina, negatum.
 Quid dites referam silvas? quid germina succis
 60. Inclyta? quid Divum turgentes nectare cannas,
 Cinnamaque, & rhei medicum pollentis honorem?
 Quid varias Cereris fruges? Nec tractibus illis
 Vitifator tectos ostendere palmite colles
 Abnuit, aut plenis vuas inferre canistris;
 65. Sed pudor est dulces prælis violare racemos,

Cellarumque altis Bromium damnare tenebris,
 Thia quibus sacras meliora in pocula frondes
 Sufficit. His & apes stipant fragrantia mella,
 Non cessura favis Hyblæ, aut redolentis Hymetti.
 70. Mollia Thisbæa meditantur pensa sub umbra
 Felices operum tineæ: his breve ducitur ævum,
 Donec fatales explerint corpore formas:
 Tunc vitæ extremo velandis lucida membris
 Fila vomunt saturæ; calathis quæ deinde Minerua
 75. Excipit, & teneris præbet carpenda puellis.
 Haud aliter memorant, primus cum regna teneret
 Saturnus, miram terras undasse per omnes
 Rerum ubertatem, tuncque aurea secla fuisse.
 Quem regnare Deum Sinarum nunc quoque in oris
 80. Jurarem, tectum silvarum horrentibus umbris;
 Si non cultu atque egregiis gens illa repertis
 Multum dissimilis primis mortalibus esset.
 His etenim simplex nullasque exculpta per artes
 Vita fuit quondam, nullisque obnoxia curis;
 85. Securum in solis degebant montibus ævum.
 Illis vasta domus antra, obscurique recessus
 Altorum nemorum; vestes detracta cruentis
 Terga feris; victum excussis Pomona ferebat
 Arboribus; fontes potum, & labentia ripis
 90. Flumina: nec mentes scelerati infania ferri
 Attigerat; nondum terras exosa nocentes
 Astræa ætherias patris remeaverat arces.
 Pax erat, & molli torpebant secla veterno.
 Nunc rerum spectare vices licet: ordine verso
 Sinarum ut populos diversa per omnia ducat
 95. Jupiter. His artes, his arma, his mænia & arces,
 Tectorum his auro postes & marmore fulgent,
 Templâ Deum laqueata, & centum fulta columnis.

Solent

Solers quippe animi genus, experiensque laborum,
 100 Nil intentatum studiis, nil linoquit inaufum.
 Quid radios, calathosque, & pensa operosa Mineruæ,
 Et pictas auri referam subtemine vestes?
 Est ubi mirificis melius variata figuris
 Texta tegant humeros regum, celsosque penates?
 105 Aut ubi disposito luxu ambitiosa supellex
 Ducat inexpletos per tot miracula visus?
 Quin etiam vasa haud ullis cedentia gazis
 Vilibus e conchis fingunt, (sic didita fama)
 Quo monstrante Deum? quis tales protulit artes?
 110. Nam prius informem cæcis telluris opacæ
 Visceribus massam infodiunt; latet illa profundo
 Centum annos; prodest tenebrofi carceris horror,
 Et latuisse iuvat, splendoremque imputat umbra.
 Credimus; an vana nobis hæc prodita fama,
 115. Nil opus & longis massam damnare tenebris,
 Sponte sed hunc glebis tribuit natura leporem?
 Quid refert? Ergo & sterili data pignora terræ;
 Quæque infœcundo nullos alit ubere foetus,
 Ipsa sibi pretium est, patriisque excocta caminis
 120. Urnarum facie aut abacis imposita coruscat,
 Aut pateris Thiaæ feruentes excipit haustus.
 Quis docuit nitrato imitari sulphure cœlum
 Iratum, mixtisque Deos in bella ruentes
 Fulminibus, domitos luxit cum terra gigantes?
 125. Non laudo. Meritas orbi qui talia primus
 Protulit, inferno pendat sub vindice pœnas.
 Sed tamen hunc celeri ingenio valuisse putandum est,
 Æmula qui telis potuit cœlestibus arma
 Formare, & magnos Cyclopum æquare labores.
 130. Illic & volucres ventis impellere currus,
 Inventum, & latos velis transmitters campos:

Quis Zephyris mutavit equos? Et quis fuit ille,
 Qui rigidis vocum mandare exempla metallis
 Instituit, modulisque fugacia sistere verba,
 135. Et foliis dulces animorum educere foetus?
 Artis opus miræ, qua totum æterna per orbem
 Edita magnorum volitent monumenta virorum:
 Quod primum Sinarum inventum fertur in oris.
 Nec deerunt ævi obscuris qui pressa latebris
 140. Facta virum, veteresque velint evoluere fastos;
 Quas regno fortuna vices ab origine prima
 Attulerit: varios casus, hominumque labores
 Qui referant: pulsos Sinarum e mollibus aruis,
 Ventosam in Chrysen ratibus venisse colonos,
 145. Ut quondam passi gravia, atque indigna relatu,
 Rege sub injusto, pietas quem nulla movebat,
 Non ullus pudor, humani aut reverentia juris,
 Fœdere composito inter se (namque ultima pestis
 Urgebat) dirum folio exturbare tyrannum
 150. Institerint: ut re comperta, ultricibus armis
 Ille furens captas popularit cædibus urbes;
 Donec multorum satiatus sanguine fuso,
 Hac reliquis vitam concessit denique lege,
 Si rapidam exilio jussi prævertere mortem,
 155. Damnatas agerent ventosa per æquora puppes.
 Sic miseri ignotas compulsi exquirere sedes,
 Post multos tandem errorers, ad Iaponis oras
 Appulerunt; quæ tunc nullis habitata colonis
 Oceano in magno tellus ignota jacebat.
 160. Sed tamen hæc felix gemmarum, aurique metallis,
 Dives opum variarum, & fertilis ubere glebæ:
 Nec minus eximiis Thix (vicinia tantum
 Sinarum, Eoique valet clementia cœli)
 Læta comis. Hæc tum miseris solatia Numen
 165. Ostendit, quibus infandum relevare dolorem,

Et

Et rabidos possent depellere pectore luctus.
 Tale decus glebis Oriens aspirat Eois :
 Quippe etiam Scythicis idem se spiritus aruis
 Induit, Aonias furor expulit unde Camœnas
 170. Impius, æripedumque ubi sanguine pastus equorum
 Solus adorato dominatur acinace Mavors.
 Verum hæc atque alia antiquæ decora inclyta gentis
 Concelebrent, quibus hoc magnus concessit Apollo.
 Te solam inter opes Asiæ mea Musa loquatur,
 175. Thia, in te mea cura unam convertitur omnis.
 Non vasti imperii, quo nullum majus in orbe est,
 Ingentes gazas, non auri pondera miror ;
 Non, quæ alia indocilis mediocri vivere censu
 Per maria & terras quærit mercator avarus.
 180. Hoc gemmis, hoc tu gaza mihi carior omni,
 Quo propius mentem attingis, sanctosque recessus.
 O magnus telluris honos ! non commoda tantum
 Corporibus cunctis nascentum alimenta ministrat,
 Verum etiam humanæ submittit pabula menti.
 185. Quid non speremus nobis hanc posse parentem
 Fœcundo proferre sinu ? si pectora nostra
 Virgulti frondes acuunt, & lumine complent.
 Nunc credo Æmoniis Medeam in montibus herbas
 Invenisse, graves ævo quibus Æsonis artus
 190. Perfundens, longæ repararet clamma senectæ.
 Nunc & in Euboïca piscantem Anthedone Glaucum,
 Monstriferum gramen postquam inscius ore momordit,
 Mutatos alto mersisse sub æquore vultus,
 Et de mortali tumidarum numen aquarum,
 195. Nereidum faciles inter lusisse catervas.
 Cætera de genere hoc vatium portenta priorum,
 Circeumque nefas, versamque potentibus herbis
 Humanam effigiem in rictus, & terga ferarum,
 Credere cuncta libet : neque enim hæc me iudice dictu

200 Admiranda magis, quam sicca pignore frondis
Castalidumque domos, totumque Heliconam moveri.
Nunc age, quæ Thiaë facies, qua prædita forma,
Quis color, expediam; frondis quæ cura legenda,
Quo ritu indigenæ curandam in tecta reportent;
205 Quo fato Europæ tam longum ignota per ævum,
Non veterum libris, non ulla cognita fama
Silva prius, tandem in nostros processerit usus;
Quoque modo injectis tenues medicarier undas
Conveniat foliis, ut pocula rite parentur.
210 Vertice surgentem modico, pulchrisque comantem
Frondeb; aspiciens Thiam fruticare per hortos
Nanquini, lætosque locos aspergine aquarum,
Esse putes Veneris redolentem basia myrtum,
Mollius huic folium, aut illi si durius esset.
215 Sed neque rhus diversa comas, aut Punica malus
Dissimiles multum producit cæspite virgas.
Sunt qui illi folium tribuant vivacis olivæ:
Sunt qui agno assimilent, quæ propter flumina nota
Humentes lento præcingit vimine ripas:
220 Unde illi ambiguum nomen pingvem inter olivam
Vimineumque nemus. Facit hæc discrimina tellus
Nativam effigiem succo variante per oras
Fatalis glebæ. Flos candidus: haud tamen absque
Flaventis succi mixtura: huic æmula bacca
225 Succrescit, viridis primum; quem deinde colorem
Post paulo in nigrum mutat: cadit illa, neque ullum
Carpenti fructum de se mortalibus affert:
Sola juvant folia, hæc quærunt, cum frigore pulso
Ver aperit terras; hæc frondibus apta legendis
230 Tempeftas, teneris superat cum fœtibus humor.
Numine tunc Phœbi & Geniis impulsa locorum,
Nympharum vaga turba cauis prorumpit ab antris,
Et primas Thiaë properat decerpere frondes. Quas

Quas inter Cytherea choros exercet, Amorum
 235 Cum solito comitatu. Illæ quæ sita canistris
 Mollibus excipiunt, & multa pyxide condunt.
 Nec secus Aonides, quibus hæc vindemia cordi,
 A. quibus hujus opis primum experientia fluxit,
 His se se sponte adjungunt, nec pœnitet illas
 240 Montibus assuetis & nota sede relicta
 Ire viam, & longos marium transmittere tractus.
 Tunc festa exhilarant convivia Mandarinis,
 Indulgetque epulis luxu resoluta juvenus:
 Haud secus ac Pharii gens fortunata Canopi;
 245 Cum venit auxilio, & populos miseratus egentes
 Nilus, adoratam volvit super arua paludem,
 Legitimoque ruens promittit gurgite messes.
 Aut cum saxosis maturas collibus vuas
 Nostrates humeris referunt in tecta coloni.
 250 Tunc rauca multos excedere ab urbe videmus,
 Quos ludus vocat & permissa licentia Baccho,
 Orgiaque, & plenis spumans vindemia labris,
 Et juvenum feri nocturna ad præla labores.
 Libera tunc vacuas diffundunt gaudia mentes,
 255 Horrida discinctus differt vadimonia Prætor,
 Prolatæque silent compresso murmure lites.
 Postquam sat frondis lectum, messisque peracta est,
 Altera cura subit; lentis siccanda caminis
 Germina vimineis collecta inferre canistris,
 260 Ac versare manu, nimius dum excesserit humor,
 Ne situs irrepit capsis, frondesque repostas
 Occupet: hinc vasis rite obsignata recondunt
 Candenti e stanno. Sed primum debita Phœbo
 Redduntur vota, & meriti referuntur honores;
 265 Phœbo, qui mentem terræ, ingeniumque creandi
 Motibus inspirat, radiisque potentibus omnes
 Educit genitor magno de corpore fœtus.

Tunc

Tunc pius in picta procedit veste Sacerdos,
 Fronde super patria redimitus tempora mitra.
 270 Quem circum proceres adstant, & cætera turba :
 Solennes Phœbo decantant carmine laudes,
 Primitiasque ferunt primæ libamina frondis :
 Quod reliquum est læti capsis in tecta reportant.
 Hinc adeo lymphis vocalibus Hippocrenes
 275 Venit honos, sacros jactavit Græcia fontes.
 Namque olim arcanis tingebant frondibus undas
 Pierides, miras edoctæ ab Apolline vires.
 Ante etiam Tyriis profugus quam Cadmus ab oris
 Castalio fessos artus recreasset in antro :
 280 Cum nondum Thix in populos mirata tulisset
 Fama decus ; nondum Oceani peneralia magni
 Herculeas ultra Gades, & Caspia regna,
 Convulsis tentasset Iber percurrere metis.
 Ignarum vates afflari numine solo
 285 Credebat vulgus, populis ea fama volabat.
 Hinc adeo & vates ipsos sacer horror habebat
 Regnati Phœbo montis, nemorumque recessus.
 Cumque illis calefacta daret de more Sacerdos
 Pocula, tunc sacros arcana numinis aura
 290 Jactabat. fervere lacus. Sic tempore longo
 Mansit honos : donec totum quatientibus orbem
 Romulidis, Graios vertens Fortuna reliquit.
 Ereptæ Phœbo laurus, & cætera rerum
 Majestas : tunc & filius antiqua recessit
 295 Relligio ; non laurigeris Parnassia rupes
 Bacchantum resonare choris, non visere fontes
 Dulce, nec Aonidum tacitis succedere lucis.
 Solaloci fama ad seros transmissa nepotes,
 Ac priscae in verbis durant vestigia laudis.
 300 Thyadas hinc equidem Thix de nomine dictas
 Crediderim, hinc Thiasos, quatientes tympana palmis,

Flagrantemque cadis Chion, impulsosque proteruis:
Bassaridum manibus fremebunda per orgia thyrsos.
Dum meliora suis Sinensia dona Lyæus

305 Miratur, similesque vuis affectat honores.

Ergo ubi conversa in peius videre Camœnæ
Omnia, convulsas Heliconis funditus arces,
Templa æquata solo, viduatas ignibus aras,
Non instaurandi cultus in montibus illis

310 Spem superesse ullam: placuit non amplius orbem
Celare, eximii fruticis quid germina possint.
Ut sibi quisque domi, quovis sub cardine mundi,
Optatos repararet potus Aganippidos undæ.
Irata interea fatis solatia tanta

315 Abscondere diu mortalibus: impia donec
Barbaries late Europam grassata per omnem,
Antiquos tetra studiorum aboleret honores
Diluvie, premeretque artes, paribusque ruinis
Roma daret Græcis fatales diruta pœnas;

320 Dacorum & rabido toties data præda furori.
Cujus non labem tam dira piacula noxæ
Abluerent? Ergo his Nemesis satiata recessit,
Et Musæ posuere minas, placuitque referre
In melius cuncta, & rebus succurrere lapsis.

325 Tunc Lusitanis animi novus incidit ardor
Ignotas tentare vias, extremaque mundi
Lustrare, & priscis positos percurrere fines. (est,
Quos Batavum haud ignara maris gens deinde secuta
Et quam piscosis Tamesis vagus alluit undis.

330 Sic prius ignotæ gentes, ingentia regna,
Ipsaque Sinarum nobis ditissima tellus
Antiquas patefecit opes, Thixæque repertas
Tunc primum frondes dedit asportare carinis.

At Pater omnipotens aliam tendebat ab alto

335 Fatorum seriem, selectosque ordine ab omni

340 Christicolum patres opera ad majora vocabat.
Qui miseras gentes nondum illo tempore cuiquam
Detectas nostrorum, & adhuc simulacra colentes,
Servitio antiquo eruerent, quique impia dictis
Veridicis, sacroque potentis fulmine lingvæ

345 Portenta & ritus possent abolere nefandos.
Illuc ancipites delati classe per undas,
Nunc etiam hæc eadem tot jam labentibus annis
Ardua dum cœpta ad finem perducere tendunt.
Optatum, nullos renutunt perferre labores;

350 Sedibus extorres patriis, rerumque suarum.
Immemores; tanto Superum capiuntur amore.
Divinas pandunt leges, demissaque cœlo
Fœdera: nec metuunt cœlestibus æmula regnis
Numina, non Procerum vultus, non jussa superba,
355 Non gladios: penetrant aulas, & limina regum;
Omnibus intrepidi caput objectare periclis,
Et vitam vera pro religione pacisci.

Quid tibi nunc memorem varia instrumenta parandi
Nectareos latices? Quid pictis vascula circum.

360 Arte Promethea rerum variata figuris,
Ollasque effictasq; luto potiore patellas?
Quid tripodas pressosque cauis fornacibus ignes?
Cæteraque arma, vadisque haustos melioribus amnes?
Quicquid erit, studio ne disposuisse fideli

365 Ante domi, neque ad has pigeat descendere curas.
Nam neque principibus Sinarum hæc cura pudori est.
Ipsi ventosis accendunt follibus ignes:
Tantus amor; teretes accensis ignibus ollas
Apponunt; ipsi gemmata pyxide lectas

370 Solliciti promunt frondes, & pocula tingunt.
Quin etiam fessis, post mille pericula ponti,
Hospitibus, quos eximio dignantur honore,
Plena renidenti protendunt cymbia vultu,

Hoc

Hoc in amicitiam coeunt, & foedera jungunt
 375 Pignore; sic primos neclit concordia nodos.
 Nec magnus labor est medicari frondibus undas.
 Sinarum hic modus est: haustum de fonte liquorem
 Ignibus imponunt, curuo dum totus ahenò
 Ferveat, & tumido exultans exuberet aestu.
 380 Protinus injicitur selectæ copia siluæ
 Haud magna, & quantum satis est ut pocula tingat;
 Mox removere foco, calidumque operire liquorem
 Convenit, ad fundum donec descenderit ardor.
 Nec defunt, qui trita eadem feruentibus undis
 385 Injiciant folia, hocque insperso pulvere tingant
 Pocula: quem morem servant quicumque potentis
 Virgulti carpunt frondes in Japonis aruis.
 Tunc vada subtili cernas viridantia fucò;
 Excitus inde leves sursum vapor exit ad auras,
 390 Et svavi afflatus nares contingit odore.
 At si forte levis fauces offendat amaror,
 Nectareæ poteris cannæ admiscere saporem.
 Tunc laticem fidens avidis duc faucibus omnem,
 Mox miram sensurus opem: seu te urbe relicta,
 395 Infanoque foro, & mentem impediante tumultu,
 Hortantur Musæ sacros accedere fontes,
 Misericque choris, vocesque audire Dearum:
 Seu placet obscuris veterum impallescere chartis,
 Naturamque sequi, & nascentum exquirere causas;
 400 Quo te cumque rapit venturæ gloria famæ,
 Non alia magis auxilio damnabere votis.
 Tum quæ mordaces divellunt pectora curæ,
 Non alio melius possis depellere potu.
 Hunc si Bellerophon nosset, non solus Aleis
 405 Errasset campis, hominum vestigia vitans.
 Non iter ad Manes, Ditisque immania regna
 Tentasset citharæ fidens Rhodopeius Orpheus.

Non animum despondisset Telamonius Ajax.
Non ita crediderim Pharia inter gramina, sacro
4¹⁰ Carmine laudatum semper florentis Homeri,
Pellere Nepenthes sævos potuisse dolores,
Irarumque graves animis componere fluctus.
Inventum hoc Polydamna tuum; dum rura Canopi
Herbarum studio lustras, utque invia tesqua
4¹⁵ Hoc tu confectos curis recreare solebas,
Arcanum admiscens dulci medicamen Jaccho:
Tyndaris inde tuo exemplo; pariterque cadentes
Regibus infuso compressit munere fletus.
Sed neque Lenæos quisquam jactare liquores
2⁰ Audeat, aut dulces Thix præferre racemos.
Pace mihi liceat, potores, dicere vestra,
Nulla placere mihi possunt medicamina, tristes
Quæ damno mentis depellunt pectore curas.
Qui mores, & quæ ancipitis fiducia Bacchi,
2⁵ Centauri Lapithæque monent, vibrataque dextris
Pocula, & infando respersæ sanguine mensæ.
Non unquam tales blandis, mihi crede, furores
Accendit tibi Thia comis: licet hæc quoque venas
Dum subit, insolitos voluit sub pectore motus.
Scit planta innocua, & nostris gratissima Musis,
Virtuti servare fidem, dat gaudia menti,
Sed casta, & nullum culpæ incussura pudorem.
Hactenus egregias virgulti carmine dotes
Sit celebrasse satis: nam qua vi talia præstet,
Muneris & tanti causas aperire latentes,
Non opis est nostræ, nec quicquid ubique sophorum est.
Id magis expediat, quam tot miranda profundis
Jam pridem ingeniis casso tentata labore:
Quæ rigidum admoveat lapidi concordia ferrum
Herculeo; quæ vis filicem convertat ad Arcton;
Cur Phoëthontiadum mœstis manantia truncis Suc-

Succina, pallentes stipulas, atque arida quæque
 Sollicitent, quis amor pappos rapuisse volantes?
 Cur puppi impulsæ ventis Echeneis inhærens
 445 Æoliam infrænet rabiem, cursumque retardet?
 Haud secus ad tumidas interrita despicit undas,
 Anchora quam fundat saxoso impacta profundo.
 Ecquis tam felix studiorum, & mente sagaci
 Mortalis, speret meditando extundere posse,
 450 Immenso quot terra sinu primordia condat;
 Aut quibus apta modis inter se elementa sequantur
 Vim superum, proprios quæ cuncta educit in ortus.
 Quid tamen his ratio in tenebris mihi suggerat, acri
 Omnia versanti studio, haud memorasse pigebit.
 455 Credibile est Thiam, tunc, cum vim passa caloris
 Solvitur, inque leves instar fumi evolat auras,
 Mirificas ex se victa compage vapores
 Tollere, queis neque quicquam alio de corpore possit
 Tam tenue emitti, aut tanto splendore coruscans.
 460 Quod sane haud vanis videor deprendere signis:
 Nam simul ac Thia est ferventibus indita lymphis,
 Continuo his viridem inducit permista colorem;
 Illaque tam tenuis gliscit tinctura liquori,
 Nulla hunc vel minima ut succi caligne turbet.
 465 Non minus ille etenim pellucidus undique nostros
 Solis inoffenso transmittit lumine visus.
 Nec minus indicio est, qui tunc vapor evolat inde
 Naribus & gratum patulis adspirat odorem.
 Scilicet ætheriæ multum in se hic halitus auræ
 470 Continet, & vivos astrorum provocat ignes
 Lumine purpureo, & motu, blandoq; calore:
 Quas illi vires roseo Tithonia curru
 Desuper, & propior nascenti affluit Eous.
 Ergo his se se animæ adjungit, mentique propinquat
 475 Dotibus: hinc ille optatus meditantibus ardor In

Incidit, & dulci trepidant præcordia voto.

Sed me difficiles tentantem evoluere causas

Majores subeunt curæ, potiora Deorum

Munera cum video tantis obstructa periclis;

480 Qui talem extremo mundi sub cardine silvam

Tam procul Europæ voluerunt surgere regnis,

Non ulli externo translata[m] assvescere cœlo.

Armandæ classes, tantum maris æquor arandum.

Invidisse Deos nostris hæc munera campis.

485 Ecquis enim hanc nostros genitam quoq; dicere in usus

Sustineat, nostris quæ tam procul exulet oris?

Macti animo Batavi, quos nulla pericula terrent:

Non maris aut cœli facies depellere votis

Ulla potest, longosque malis abrumpere cursus.

490 Non minor hæc vobis fit gloria, fortibus ausis

Absoluisse Deos: neque enim hæc sine numine Divûm

Voluitis, aut quisquam portus volitare per omnes

Oceani, & tantos possit superare labores;

Grandibus inceptis cœlo nisi fautor ab alto

495 Adspiret Deus, & fragiles regat ipse carinas.

Muneris hoc vestri est, quod Thix ducere succos

Cum visum est nobis, blandosque cedere furores,

Non immensa obstant spatia interjecta locorum:

Quodque peregrini non ulla opulentia cœli

500 Europæ defit populis, non ulla voluptas.

Non mihi si centum lingvas, centum ora movere

Musa potens fandi tribuat, tot mittere voces

Sufficiam, quantas Actoribus inclyta vestris

Sina rependat opes, digno comprehendere versu.

505 Quæ si nulla forent tanta emolumenta laborum,

Solaque velivolas peteretur Thia per undas;

Non tamen hanc per tot quæri discrimina dignam

Abnuerem, tales vitæ quæ præbeat usus.

in
Cicero,
Idem lib

1100

1100

Pom

Vb 230

ULB Halle

3


003 649 385




5b₁

W 17
D







PETRI PETITI
PHILOS. ET DOCTORIS MED.
PARISIENSIS,
THIA SINENSIS,
AD
PETRUM DANIELEM HUETIUM,
ABBATEM ALNETANUM.

CARMINA Pimplæis nuper mihi nata sub
antris,
Cui potius mittam quam tibi, HUE-
TIADÆ?
Accipe quodcūq; est; deerunt si cætera votis,
Fallor, materies ni placitura tibi est.
Inclyta Sinensis celebramus munera terræ,
Munera Pegasidum jam bene nota choris.
Perlege; si bene quid de te meruere beatæ
Thiados ambrosiis pocula tincta comis.
Nec meruisse male hæc, credo, ipse fatebere: quanquam
Ingenio multum, nec minus arte vales.
Uteris hac certe, & nullum sine pyxidis usu
Thiiferræ pateris præteriisse diem.
Non Heliconæ moves unquam, nisi nectare tali
Uvidus & blando corda furore tumens.
Ipse etiam multis divinam expertus ab annis,
Hac soleo ad Musas tendere fretus ope.
Ergo age: & hæc mecum certissima dona Deorum
Concelebra; nostris versibus adde tuos.
O quanta accedet Sinensi gloria silvæ:
Vindice non alio gaudeat illa magis.

A THIA